

id modo ferre ut reddas quod peto, sive contra te pronunciatum erit, sive pro te: nam, si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicerō: sin vero secundum te iudicatum erit; merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea respondit Evathilus: Potui, inquit, huic tuae tam ancipiti captioni esse obviam, si verba non ipse facerem, atque alio patrono uterer; sed majus mihi in ista victoria prolubium est, quum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto vinco. Disce igitur tu quoque, magister sapientissime, utroque modo fieri, uti non reddam quod petis, sive contra me pronunciatum erit, sive pro me: nam, si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicerō; sin contra me pronunciarint, nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicerō. Tum iudices dubiosum hoc inexplicabileque esse, quod utrimque dicebatur, rati, ne sententia sua, utramcunque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet, rem in iudicatam reliquerunt; causamque in diem longissimam distulerunt. Sic ab adolescente discipulo magister disciplinae eloquentiae inclusus, suo argumento confutatus est, et captionis versute excogitatae frustratus fuit.

D. Orat. II. 7. — Verum plus uno esse non potest.

Acad. post. I. 11. — Quod erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat (Zeno), et si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, *scientiam*; sin aliter, *inscientiam* nominabat: ex qua existeret etiam opinio, quae esset imbecilla, et cum falso incognitoque communis.

Rhet. I. 29. *Probabile* est id, quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad haec quandam similitudinem, sive id falsum est, sive verum. In eo genere, *Quod fere solet fieri* probabile huiusmodi est: *Si mater est, diligit filium: — Si avarus est, negligit iusjurandum.* In eo autem, quod *in opinione positum est*, huiusmodi sunt probabilia: *Impiis apud inferos poenas esse*